

múltis facilius acquirere esset prætiosum indumentum, quam camisium de lino. Vnde et quicunq; sunt alicuius honestatis non carent desuper precioso vestimento.

Omnes tam viri quam fæminæ similibus in forma vestibus inducuntur, videlicet valdè latis, et breuib; vsque ad genua cum apertura in lateribus quam firmant (dum volunt) ansis quibusdam, nam vtérque sexus est brachijs seu femoralibus plenè tectus. Nunquam vtuntur toga aut collobio, sed nec caputio, vnde nec per aspectum indumentorum potest haberi differentia inter virum et mulierem innuptam. Sed nupta (vt supra dictum est) gestat per aliquod tegumentum in capite formam pedes viri.

Nubit illic vir quotquot placet mulieribus, vt nonnulli habeant decem vel duodecim vxores aut plures. Nam quisque maritus iungitur licentè cuilibet mulieri, exceptis matre, et amita, sorore, et filia. Sicut viri equitant, tendunt, et currunt per patriam pro negotijs sic et mulieres, quoniam et ipse operantur omnia ferè artificia mechanica sicut pannos et quicquid efficitur de panno, corio, sericoq;, minantq; carrucas, et vehicula, sed viri fabricant de ferro et de omni metallo, lapidibus atq; ligno, nec vir nec mulier nobilis aut degener comedit vltra semel in diè communiter. Multa nutriunt pecora sed nullos porcos, parum comeditur ibi de pane exceptis magnatibus et diuitibus, sed carnes edunt pecorum, bestiarum, et bestiolarum vtpote boum, ouium, caprarum, equorum, asinorum, canum, cattorum, murium, et rattorum, ius carniū sorbentes, et omnis generis lac bibentes.

Nobiles autem bibunt lac equarum, seu iumentorum, pro nobilissimo potu et pauperes aquam bullitam cum modico mellis, quia nec vinum ibi habetur, nec ceruisia conficitur: et multi ac plurimi fontes consulunt in sua siti, per villas, et rura. Domus, et habitacula rotundæ sunt formæ, compositæ et contextæ paruis lignis, et flexilibus virgulis, ad modum cauearum quas nos facimus pro auiculis, habentes rotundam in culmine aperturam præstantem duo beneficia habitationi, quoniam et ignis quem in medio domus constituunt fumum emittit, et pro aspiciendo lumen immittit. Intrinsecus sunt parietes vndiq; de filtro, sed et tectum filtreum est: has domus, dum locum habitandi mutare volunt, vel dum in diutina expeditione procedunt, ducunt secum in plaustis quasi tentoria.

Multas superuacuas obseruant ceremonias, quia respiciunt in vanitates et insanias falsas: solem et lunam præcipuè adorant, eisque frequenter genua curuant, et ad nouilunium, quicquid est magni estimant inchoandum.